CORONIS THEOLOGICA

In PRINCIPE, meritorum & Honorum THESAURO

DEPOSITA,

id est

THEOLOGIA UNIVERSA

ILLUSTRISSIMO, EXCELLENTISSIMO

&

REVERENDISSIMO DOMINO

D. JOANNI

In OSALA & MICHALCZE

SKARBEK

DEI & Apostolicæ Sedis Gratiâ

ARCHIEPISCOPO

METROPOLITANO LEOPOLIENSI,

ABBATI PLOCENSI

DICATA,

Simulq; Præsuleis plantis

Ac ultimo Theologici Cursus Agoni

IMPOSITA

A R. D. ANDREA GIZYCKI MARIANÆ Acad: Rectore.

In Aula Collegii Leopoliensis Societatis JESU

Anno ab Unione Hypostatica 1727.

Ad usum Fris Pancratij [illegible] Sotecki [illegible]
Magistri Minorum [illegible]

A memori posteritate legar. *Ovid: de Ponto.*



Accide Præsuleis suprema scientia plantis,
Quæ Tibi vel Patrio Stemmate teste favet.
Littera SKARBKONUM prænobile Stemma, colendam
Omnibus hanc studiis edocet esse Domum.
Volvere SKARBKANÆ congesta volumina famæ
Pergite; sit totus *Littera* sola liber:
At neq; Nomen ego, neq; Stemmata consulo; Tanti
Præsulis in vita, quod legat Orbis, habet.

JLLUSTRISSIME
EXCELLENTISSIME
&
REVERENDISSIME
DOMINE.

V*ictrices nunquam magis univerſa Theologia laureas conſequi potuerat, quàm dum Tuo Nomine meretur coronari* Archiantiſtitū Reverendiſſime, Senatorū Jlluſtriſſime, Mecænatum faventiſſime. *At-*

to lit-

tollitur nimirum illud profundæ eruditionis æquor, nunquam veriùs Altũ, atq; Tuis affusum plantis, cui ad laboris coronam Gemma Præsulum obtigisti. Emergere equidem hoc è pelago Theologicus Sol in lucem potuit, non potuit prodire illustriùs, nisi unde Patrio Cælo splendores effluunt, ab Jllustrissimo SKARBKONUM *Nomine hausisset lumen. Ad supremam sanè lucis augem præclaræ scientiæ supererat, Tuam meruisse* Literam, *cùm multum pretii nostris literis decessisset, nisi stylo Patritii* Abdank *ARCHIPRÆSULEO characteri inscriberentur. Legentur illæ gratiosiores nunquam, ac JOANNE Gratiâ felices. Tu nimirum* ARCHIPRÆSUL Jllustrissime *scientiarum Romanis collibus eminentium apex, solis Theologici in auge eruditionis meridies, maxima Theologiæ gratia in JOAN-*

ANNE, quô nemo major. Soles exteros spectâsti Polona Aquila, illustrâsti, serenâsti, cùm perspicaci ingenio, ceu radio obscurissimas difficultatum umbras noctesq; perstrinxisses adeo, ut quidquid responderes, præclarum; quidquid ageres, illustre, & Sole dignum crederetur. Legit ad lucem tantam vel è fronte Tua, Caput Orbis Roma, quod suspiceret, & unde colligeret oracula futurorum; cùm etiam ex tenero tunc ungue Leonem, & Roxolanũ ArchiPastorem, *cui nosset servire Leo, metiretur. Vidit de Tuo vertice certantes Quirinas laureas, Insularum prodromas, quæ licèt semper caput emeritum ambiverant, tunc primùm tamen assecutæ, cùm Septicolle Latium montibus Leoburgicis immutâsses, non minùs ex loci fastigiis, quàm summis omnium votis, Tuisq; meritis eminentissimus. Vidimus pleno gau-*

 di-

diorū vultu, quæ ab addictis erūpebant pectoribus, quo Te cultu adoravit Primatem Roxolanum Russia, secundum in Senatu Principem Polonia, Præsulem Aræ, Pastorem Leopolis, Patrem egestas, animum pietas, cuncti Gratiam Superûm in JOANNE. *Si enim gratiarum Tuarum Aras licet attingere? Implesti virtutibus altaria, profuso usq; ad Sacram prodigalitatem ærario ditâsti, Antistes semper aureus. Æstimat studiosam in se pietatem Tuam Numen Eucharisticum, cùm illi solium aurô fusum, in quo circumferatur illustriùs, conditorium argenteum, quod inhabitet augustiùs, erexisses. Divitem certè hìc probâsti amorem; & aureum esse, quidquid in gloriam Numinis molireris. Felicem Archidiecœsim Te suo Antistite! ut fortunas emerearis omnibus, pretiosis muneribus Superos illis, & felicita-*

citatem devinxisti. At parùm fuerat auro includi, Tuo studio, Gemmã DEUM. Omnibus, elapsa æstate, ut Cælum ditâsses, indulgente BENEDICTO XIII. *auream Magni Jubilæi reserâsti* Portam. *Confluxerat Procerum, & Nobilitatis Roxolanæ flos ac honor, tantaq; concurrentis populi frequentia, ut Sacerrimarum ædium mænia vix caperent inundantes catervas. Implebantur sanctuaria supplicibus votis, fervebant sanctiore zelo exedræ, lacrymis pænitentium sacra innatabant tribunalia, omnium gloria in Te unum redũdante. Pro! quàm facili prece propitium flexêre Numen, quàm prompto favore veniam consecuta Pænitentia! Facilè nimirum Clementia invenitur, facilè pervenitur ad gratiã* JOANNE *Præcursore ac Duce. Unius Tuæ solicitudinis excessus Indulgentiam*

tiam mereri non potuit, sed Superûm amorẽ, Cælorũ gaudia, plaususq; omnium. Hæc Tu pro Pastorali vigilantia, & zelo, Superûm gloria, animarum salute egisti. Placuisse sibi conatus ejusmodi, testari palam Salvator voluit, ubi in ArchiPræsuleis *Kakolnicensibus bonis, Te* ArchiPræside, *beneficiis adeo prodigiosis inclaruit, ut* Pastorali *JOANNIS in populos studio, thaumaturgis collaborare gratiis videatur. Reliquisti posteris effusæ in Superos munificentiæ exempla, quæ imitentur; adjecit liberale Numen benevolentiæ monumentum, quod mirentur. In sui Cruci affixi idea vivã Divini favoris exhibuit effigiem, in qua veluti rursus redẽpturus Orbẽ comparuit, ut commõstraretur à JOANNE. Fecistiq; satis desiderio Numinis, dum in erecta sanctioribus impensis* Augusta *Ara, colendam*

Ico-

Iconem, votorum asylum collocâsti. Sub hujus tutelam dum se recipiunt, gratias accipiunt; dum confugiunt supplices, fugant pericula, dum ad Gratiarum mare plena confluunt millia, millena in se sentiunt redundare beneficia. Et hæc sunt Tua in DEUM, *populumq; merita, quæ devinctum obsequiis Tuis Cælum ad prodigia coronavit. Nec ista tantummodo; plura vocant ad calculũ Superi. Pro* Matre *etiam, cujus Augustum verticem in thaumaturga Sokaliensi imagine coronâsti, gratitudinem rependit* Filius. *Non alia nimirum voluit, Cælorum & Poloniæ Regina redimiri manu, nisi* Primatis *Russiæ, virtutumq;* Principis. *Invitavit operã Tuam, Regis Regum Mater, ut ipsius honori Supremam semper, nunquam ultimam imponeres manum, nec aliam ei exhibuisses, nisi, quæ terminum ignoret,*

 pie-

pietatis coronidem. Adeo in attollenda Superûm gloria sublimē, ac prope immensam extendis dexteram. Eidem feracissimæ Coronarum manui suas debent Infulas Jllustrissimi, Luceoriensis, Chelmensis, Kijoviensis Antistites, quorum primum, & alterum, in Leoburgicæ Tiaræ gloriam adsciveras Suffraganeos, ut eis Regni indemnitas, ac Senatûs Majestas deinceps incumberet, quibus olim Tuus nitebatur honos. Adeo pares esse fulciendo Poloniarũ Orbi oportet, quos Tuo succollando muneri censueris idoneos. At non solùm præsentium felicitati, quâ perpetuam obligationem merearis, verùm etiam posterorum memoriæ, quâ perennes, munificẽtiæ Tuæ monumenta relinquis. Leopoli, Obrosʃyni, Dunaioviæ, Kakolniciis, Te jubente erexêre Caput sublimius, paria grandi Tuo Animo, & Magnis post sera

fata

fata Succeſſoribus Palatia, *in quibus auguſtiùs Majeſtas* Primorum *poſt* Primatē *Celſiſſimum* Principū *habitaret. Dubium tamen feceras, num magis Palatiorum auguſtalia, an obſtricta Tibi corda incolere elegeris; poſtquam ad hæc pretioſa beneficiorum clavi aditum Tibi reſerâſti. Tenes igitur ſingulorum animos Poſſeſſor* Antiſtes, *omniū amore Major, & ſupra cunctorum pectora JOANNES, ceu vertex* Pontificum *emines: adeo univerſa vota, vel ſuperas, vel ſubigis. Ditiore reſpectu vel ipſam Paupertatem DEO Sacram pretioſiorem reddidiſti, ubi in Tuis liminibus Crœſi æraria ſingulis, ſanctioris Fortunæ aperis omnibus aurifodinam. Ad ingentia beneficia Tua, ipſa JESU Societas minima videri deſiiſſet, niſi illam gratiarum Tuarum pondus ſub* Archi-Præſulis *plantas deprimeret, & gratæ ve-*

venerationis officium faceret suppedaneam. Ne verò beneficia in omnes Religiones à Te profusa recenseam, metiri licebit universis, quod universis datum est intueri. Vidimus nuper, qua Seraphici Ordinis de Observantia Sanctissimos Triarios induxeras Majestate, & Sanctorum splendoribus, festisq́; ignibus velè Tuo vultu ac pectore prorumpentes flammas addideras, quæ nec largissimo tunc offundi imbre, nec tenebrosis nubibus obscurari potuerant. Non Te Cœli injuriæ, non annorum gravitas, non viæ incommoda deterruerant. Intulisti Sanctos Altaribus, cùm ipsemet virtutem Aris inferendam attuleris. Nec in Cœlites solùm ad Aras obsequia suspicimus; in indigos quoq́; terrarum colonos effusa miramur beneficia. Anni elapsi sterilitatem, munificentiæ Tuæ fertilitate superâsti, dum evacuatis in

ege-

egenos ſubditos granariis, clementioris cæli vices impleveras, poſtquam tellus alimenta denegâſſet. Nec licet adultam gloriæ Tuæ meſſem prætermittere, Seminarium illud, uberrimorum ſpem fructuum, & futuram in emolumentum Archidiœceſis penum. Jacitur Scientiarum, & virtutum ſemen in ſolo excolendæ pietati aptiſſimo, è quo ſanctioris frugis copiam Templis, & cœlo inferas. Sub eundem favorem Tuum, qui ipſomet etiam Stemmate ſoves literas, confluunt, ARCHIPRÆSULEÆ *Dignitatis pallio protegendæ ſcientiæ, cùm nusquam alibi tutiùs defendi poſſint, aut feliciùs ad victrices adoreas aſſurgere, quàm à planta* PRIMATIS *Ruſſiæ. Admitte itaq;* ARCHIANTISTES JLLUSTRISSIME *Theologiam Univerſam, Tuis acclinem pedibus, & ad Su-*

d pe-

perûm, quàm dilatas, gloriam, decus Lechiæ, Russiæ solatia, subditorum desideria, vota omnium, Vive Gratiarum Sæculum JOANNES, & annorum Coronam.

Ita vovet

Jllustrissimo Nomini Tuo

Obligatissimus

Andreas Gizycki.